

IX. König Albrecht für die Stadt Besançon. 1307 Mai 7.¹

Or. Besançon, Archives de la Ville AA I. 1
Layette 1. Etwas abgebröckelt.

Albertus Dei gracia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum.

Tociens regie celsitudinis sceptrum extollitur alcius et ipsius status solidius solidatur, quoci[ens] fidelium devotorum vota benigno respiciuntur affectu et ad ipsorum iura et libertates servandas et commoditates augendas graciosissima protectio [principis] invenitur. Cum enim omnis gloria sive potencia principatus in subditorum precipue consistat solidata fortunis, expediens arbitramur [et congruum, ut simus subiectis et in iusticia faciles et in gracia liberales. Noverit igitur presens etas et futuri temporis suc[cessur]a posteritas, quod nos prudentum virorum civium Bisuntinen[sium] dilectorum nostrorum fidelium devotis supplicationibus motu liberalitatis [re]gie benignius annuentes, omnia privilegia, gracias, concessiones, libertates et iura a divis imperatoribus et regibus Ro[m]anorum illustribus antecessoribus nostris ipsis indulta et indultas, prout rite concessa et concesse sunt, et provide eisdem civibus [d]e benivolencia regia innovamus, approbamus, ratificamus et presentis scripti patrocinio confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre innovacionis, approbacionis et confirmacionis paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod qui facere presumpserit, indignacionem maiestatis regie se noverit incursum. In cuius nostre innovacionis, approbacionis et confirmacionis testimonium presentes litteras maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Dat. Spyre, Non. Maii, indictione quinta, anno Domini millesimo trecentesimo septimo, regni vero nostri anno nono.

Verletztes Siegel an grün und rothen Seidenfäden.

X. Herzog und Herzogin von Burgund an König Heinrich VII. 1309 Februar 13.

Or. Paris, Archives nationales J. 611 n. 28.

Serenissimo principi domino suo carissimo domino H. Dei gratia regi Romanorum semper augusto Ph. domini Francie . . regis secundogenitus comes ac Iohanna eius

1) Böhmer, Reg. Albr. 573. Vgl. N. A. XXVIII, 491.